



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

23 Corporales effectus aquae benedictae sunt plures.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

videbat in cubiculo innumerabiles dæmones, quod animadvertens unus ex custodibus, cœpit locum aqua benedicta aspergere, infirmus autem statim cœpit clamare, eja, eja, fac, quod facis, quia diaboli fugientes contendunt, alter post alterum summa celeritate discedere, & Marfil. *ead. sect. 3 cap. 6. nu. 29. & 30.* & de aliis miraculis testatur Antonius Possevinus in litteris ad piissimam Mantuæ Ducissam datis anno 1585. quas refert idem Marfil. *ead. cap. 6, num. 64: usque ad num. 69.*

Secundus, quo remittuntur peccata venialia ex supra deductis.

Tertius, quo excluduntur phantasmata diabolica, pravæque cogitationes, ac mentis distractiones in oratione, aliisque temporibus.

Quartus, quo elevatur mens à terrenis rebus.

Quintus, quo disponitur animus ad orationem, & devotionem.

Sextus, quo gratia, favor, & assistentia Spiritus sancti impetratur.

Septimus, quo præparat mentem hominis, ut rectius divina mysteria peragat, Sacramentaque suscipiat.

Corporales effectus † etiam plures ex aqua benedicta prodeunt.

Primus, quo hominum, jumentorum, aliarumque humanarum rerum sterilitas curatur.

Secundus, quo multiplicatio, & ubertas bonorum impetratur.

Tertius, quo sanitas mentis, & corporis conceditur, tum curando infirmitates, tum in illas præcavendo.

Quartus, quo aër noxius purgatur, omnesque pestiferi, ac cõtagiosi morbi vis propellitur. Aqua benedicta, Deo cooperante,

plures sancti homines, quamplures à spiritibus immundis vexatos, incantationibus ligatos, leprolos, claudos, paralyticos, ac aliis diversis languoribus, & infirmitatibus oppressos liberarunt, cæcos illuminarunt, tempestates maris, & terræ sedarunt, locustas profligarunt, & pestilentem morbum sanarunt, ut per eundem Marfil. *dict. sec. 3, c. 2, n. 45. & c. 5, & 6, per tot. eandem sec.* videre licet, ad quem remisisse sufficiat, ubi plura etiam paucis abhinc annis à religiosis Societatis Jesu mirabilia fuerunt facta apud Japones, & Indos, apud quos aquæ benedictæ virtus multis experimentis est comprobata.

24 Aqua benedicendæ forma † in duobus versatur verbis, scilicet, ac figuris, & quia supra de verbis actum fuit, nunc de figuris aliqua attingam. Hujuscemodi benedictionis figura quatuordecim perficitur crucibus, ea devotione expressis, quæ gravem, & religiosum virum decet, & tunc faciendæ sunt, cum septem illæ invocationes, de quibus *supra, n. 14.* dicuntur. In prima quidem invocatione crux una fieri debet, in secunda tres, in tertia duæ, in quarta tres, in quinta una, cum sacerdos dicit: Infunde benedictionem tuam, &c. in sexta similiter una, cum sal in aquam injicitur, & postremò in septima tres. Quæ quidem evidenter, ac explicitè fieri debent, quemadmodum & verba ipsa clarè, & explicitè sunt pronuncianda, ut per eundem Marsilia in *Hidrag. sec. nu. 35. 36. & 37, c. ult.*

25 Septenario † numero invocationum fit dicta benedictio, quia dictus numerus apud sacram scripturam, & sacros doctores est perfectus, ut tradit magister Cyprianus Ubertus, hæreticæ pravitatis

G vitatis